UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Dubitatio IX. Vtrum sicut Devs tangit animam in unione vel in ordine ad illam, poßimus dicere quod anima tangat, & gustet Deum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Postquam igitur anima jam fuerit purificata purgatione sensibili passiva, de qua loquuti sumus Resolutione 28. & post delicias Recollectionum infusarum nempe orationis recollectionis, orationis quietis, somni potentiarum, & ebrietatis spiritualis partis sensitivæ. Solet primò advenire purgatio quædam ignea etiam partis sensitivæ, quæ consistit in quodam vehementi amoris impulso, & magis videtur esse amoris calidi, quàm amoris acuti, qui dicitur famelicus, ut retigimus Resolut. 88.

Sequitur primò.

Secundò sequitur post multos annos à purgatione sensibili, purgatio illa horribilis partis intellectivæ, de qua egimus Resolut. 29. in qua simul solet exerceri sed imperfectè, obscurè, & laboriosè, tam contemplatio mysticæ Theologiæ quàm unio affectiva voluntatis, & solum ingrediuntur purgationem istam illi, quos DEUS vocat ad unionem perfectam: nec sine illa facilè credendum est aliquem obtinuisse unionem infusam perfectam: soletque multo tempore durare, nisi forte in animabus valde puris, in quibus non solet esse continua, sed consolationibus, & communicationibus dulcibus immisceri.

Sequitur secundò.

Sequit. 3. Tertiò, ad istam purgationem aqueam sequitur alia ignea, seu impetus amoris acuti & famelici, de quo in Resolut. 88.

Sequit. 4. Quartò, sic purgata jam anima ingreditur primum gradum Theologiæ mysticæ, qui est contemplatio pura & introitus in divinam caliginem, ut Resol. 83. cui primo sequitur in voluntate quædam ebrietas spiritualis quæ est unio imperfecta.

Sequit. 5. Quintò, hic introducunt aliqui aliam purgationem spiritualem aqueam, veluti complementum illius, quam diximus num. 2. de qua videatur Resol. 30.

Sequit. 6. Sextò, hanc purgationem sequitur alia ignea, & amoris acuti seu famelici, similis illi, de qua n. 3.

Sequit. 7. Septimò, post aliquas influentias quæ vocantur divini contactus, sequuntur primi actus unionis affectivæ qui sunt brevissimi, de quibus Resol. 86.

Sequit. 8. Octavò, disponitur anima ad 2 gradum unionis, in quo sponsalia celebrantur; per alios impetus amoris acuti & *vulnerantis*, de quibus Resol. 88.

Sequit. 9. Nonò, ingreditur anima secundum illum gradum unionis, ut ibi diximus Resol. 86. in quo sunt frequentissimi raptus perfecti, & visiones intellectuales indistinctæ, ut dicitur Resolut. 89. exercenturque actus beatitudinum, de quibus Resol. 91. & ex parte intellectus hanc unionem solet antecedere, & comitari secundus gradus myst. Theol. qui est contemplationis in caligine, de quo Resolut. 83.

Sequit. 10. Decimò, ut disponatur magis anima ad unionem habitualem matrimonii spiritualis, ingreditur aliam purgationem igneam, quæ dicitur amoris superfervidi, de quo Resol. 88.

Sequit. 11. Undecimò, sequitur denique unio illa fruitiva perfectissima hujus vitæ, quæ remanet habitualiter, & in qua celebratur matrimonium, ut Resol. 86. ex cujus gustu & notitia experimentali oritur ultimus & supremus gradus Theologiæ mysticæ, de quo Resol. 84. quo nulla contemplatio est superior, nisi visio clara DEI, de qua egimus in docum. 50. quam etiam posse dari in hac vita per modum transeuntis diximus 1. p. q. 7. m. 7.

DVBITATIO IX.

Vt sicut DEVS tangit animam in unione vel in ordine ad illam, possimus etiam dicere quod anima aliquo modo tangat & gustet DEVM?

HAnc dubitationem, & sequentem ad calcem Operis remisi, quia licet non ita cooc dnentur superioribus, nec ita necessario conducant ad documenta D. Dionysii, ad materiam tamen spectant; & disputandas Patres solito judicavi: tum, ut probentur quæ in *Catena mystica Prop. 4. Resp. 7.* & prop. 35. per totam obiter (ut par erat) ex Auctoribus retuli: tum ut solvantur objectiones, quæ pro parte negativa ab aliquibus proponuntur vel possent proponi.

Opinio igitur negativa rationibus sic probatur. Primò, quia licet communiter admittant ut contactus DEI tangentis animam: omnes tamen Theologi mystici & scholastici cum D. Th. 1. part. quæst. 105. art. 2. ad 1. negare videntur dari ex parte animæ contactum, & gustum circa divinitatem. Secundò, quia iste contactus ex parte animæ nequit esse corporeus, seu quantitativus quantitate molis, ut patet; nec etiam virtualis seu quantitatis virtutis, ad quod requiritur, ut anima possit operari, & producere aliquid in DEO; ergò, nullus contactus datur: cùm à D. Thom. dividatur contactus in illa duo membra, nec alios modus tangendi assignari possit. Tertiò, quia anima solum percipit effectus contactus activi DEI: ergo non tangit, nec gustat ipsum DEUM propter infinitam distantiam divini objecti. Quartò, quia nullus est Theologus mysticus, qui tactus istos explicet ex parte animæ tangenti DEUM, vel exercentis in DEUM actionem tactivam, ut potest videri imprimis in omnibus locis, ubi B. P. N. Joannes à Cruce loquitur de istis contactibus. Deinde in omnibus ejus discipulis. Et denique in omnibus aliis. Imo expresse P. Thomas de Valgornera illos excludit ex parte animæ dicens in myst. *q. 3. d. 5. art. 9.* Tactus isti solum à DEO procedere possunt, &c.

Sententia negativa.

Affirmativa tamen sententia satis communis est, & passim locutio ista invenitur apud Theologos non solum mysticos, sed etiam scholasticos: nec obscurè in hac paginis relucet: & re bene perpensa nulla in ea difficultas apparebit. Et imprimis, quod datur contactus DEI tangentis animam, non negatur in argumentis, imo fatetur locutionem esse expressam fere omnium Doctorum mysticorum: eamque probat D. Th. *de verit. quæst. 28. art. 3.* ex illo Psal. 143. *Tange montes*, & ibi glossa, *tange gratia tua.* Et inde infert, quod DEUS tangat animam prodacendo gratiam. Unde vocantur à Mysticis tactus isti substantiales, quia fiunt ea substantia animæ per productionem gratiæ seu augmenti ejus; licet simul fiant cum majori radicatione virtutum & donorum in potentiis animæ, quod explicant ab unde nostri Didacus à JESU in *Annot. ad libros* N. B. P. disc. 1. phrasi 4. & P. Nicolaus à JESU MARIA in sua pluries laudata *elucidat. p. 2. c. 18.*

Sententia affirmativa.

Solent autem specialiter vocari *contactus DEI* illi, quibus in actu unionis animam evehit ad majorem gratiam, ejusque potentias illuminat & inflammat, præsertim quando hoc fit repentino quodam motu & impressione: vel etiam quan-

quando in ordine ad unionem communicantur animæ quædam notitiæ (quas vocant *nudarum veritatum*,) quibus anima dulciter, efficaciter, & ut plurimum inopinatè instruitur circa perfectiones divinas, de quibus agit N.B.P. Joan. à Cruce *lib. 2. Ascens. mont. Carm. c. 26.*

Ubi notandum est, non eisdem verbis hoc inveniri in omnibus adjectionibus librorum ejusdè D. Patris: nam *in prædicto cap. 26. §.* Estas notitias: sic legitur in illis qui novissimè prælo traditi sunt maximè ab anno 1649. *Estas altas notitias amorosas no les puide tener sine el alma gullega a union con dios: quor qüe elles son la misma union: por que cõsiste el tenerlas en cierto toque que se haze del alma en la Divinidad, y assi el mismo Dios, es el que alli es sentido y gustado, &c.* At verò in prima editione facta anno 1618. aliter leguntur verba illa: *Ellas son la misma union*, & illa: *del alma en la Divinidad*. Leguntur enim sic: *Ellas pertenecen à la misma union, &c.* Et, *del alma con lo divina verdad*. Cui lectioni consentit editio latina, & aliæ quæ correctiones judicantur. Quidquid sit, an diversitas sit substantialis, nec ne? de quo statim.

Quæstio tamen est de contactibus ex parte animæ? & quod etiam ex parte ejus dentur aliqui contactus in DEUM, ut possimus dicere DEUM ab anima aliquo modo tangi: non ita intelligendum est quasi anima tactu corporeo DEUM attingat, cùm sit spiritus; nec etiam tactu virtuali, quasi anima aliquid in DEO producat: quod ut patet, esset absurdum, & contra fidem: sed debet intelligi de tactu metaphorico cognitionis scilicet & amoris, per modum objecti cogniti & amati: nec enim anima aliter potest attingere, non inquam DEUM, sed etiam creaturas. Quæ doctrina est expressa D. Thom. *locis infrà adducendis.*

Probatur 1. ex Scriptura sacra.

Probatur que primò ex pluribus locis Scripturæ quæ tactum illum vel exprimunt, vel includunt. Cant. 8. *Apprehendam te.* Et, *ut deosculer te.* Et capite tertio. *Tenui eum*, capite quarto, *Vulnerasti cor meum*, &c. Quæ omnia tactum includere quis non videat? Zach. 2. *Tangit pupillam oculi mei*: ecce tactum expressè. Actorum 17. *Quærere DEUM si forte attrectent eum.* Ubi Cornelius à Lapide, *attrectent*, id est, contactu metaphorico, & mentali cognoscendo. Si ergo sacra Scriptura admittit tactum metaphoricum animæ in DEUM, cur in Mysticorum scriptis malè audiat?

Probatur 2. ex scholasticis.

Probatur secundò ex modo loquendi scholasticorum, quoties dicunt potentias *attingere* sua objecta: si enim hæc attingentia est metaphorica, nos etiam metaphoricè loquimur. Omnes igitur Theologi dicunt Virtutes Theologicas DEUM immediatè attingere: unde inferunt Religionem non esse virtutem Theologicam, quia non tangit DEUM immediatè tanquam objectũ *quod*. De quo inter alios Suar. Tom. 1. de Relig. l. 3. c. 3. n. 4. Et pro omnibus sufficiat D. Thom. 1. *part. quæst. 43. art. 3. in corp.* ubi ait: *Creatura rationalis cognoscendo & amando attingit ad ipsum* DEUM. Et *de verit. quæstione 28. articulo 3.* Postquam explicuisset modum quo DEUS animam tangit: addit: Mens autem humana aliquo modo tangit DEUM, eum cognoscendo & amando. Quid amplius quæritur?

Probatur 3. à Theologis myst.

Probatur tertiò ex doctoribus mysticis tam antiquioribus, quàm recentioribus. Et ne prolixiores simus, sufficient pro antiquis D. Bonaventura *cap. 3. de dono spir.* donum sapientiæ (inquit) experimentaliter & practicè, & quasi saporosè gustando DEUM attingit. Et cap. 4. Unio præcipuè consistit in notitia saporosa & experimentali per tactum, sive gustum ipsius DEI. Hugo Victorin. tom. 2. l. 6. 1. de Arca Noe c. 4. insinuans tres attingendi modos ex parte animæ, respectu DEI ait; Hoc est enim ad ipsum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quærere, & per cognitionem invenire, & per gustum tangere.

Pro recentioribus sint satis P. Jacobus Alvarez de Paz *de vita spir. Tom. 3. lib. 5. part. 3. cap. 14. §. Quid autem*, dicens, *Anima ad consolationes non respicit, sed ad originem omnium bonorum intra se manentem attendit; breviter per experientiam, per gustum & tactum spiritualem*, DEUM *agnoscit.* P. M. Pizanus in *comp. mysticæ Theolog. lib. 2. cap. 14.* nico animam isto modo DEO ipsi unitam non solum percipere ipsam actualem unionem, gratiam & charitatem, imo & ipsum DEUM purissimum sentire, ac suavissimo tactu degustare. (& infra) Per unitivi amoris amplexum sensu tactus, & gustus ipsum DEUM experiuntur, ac veluti palpant. Quod novissimè fusius prosequitur & defendit P. M. Petrus à JESU MARIA in *Apoc. To. 1. c. 1. sect. 9.* maximè *n. 9. & c. 4. sect. 3. n. 4. & n. 8.* in sequentibus que sæpius repetit.

Beatus N.P. Joannes à Cruce *lib. supra cit. c. 26.* Si verba ejus legantur juxta novissimas editiones, nempe: *Cõsiste el tenerlas en cierto toque que se haze del alma en la divinidad.* apertè indicat tactũ animæ circa divinitatem. Si autem legantur juxta antiquiores & correctiores impressiones sc. *en cierto toque que se haze del alma con la divina verdad*, adhuc poterat sic intelligi unam divina veritas objectiva quæ animæ objicitur in prædictis notitiis, est ipsamet divinitas, & ejus attributa. Quod etiam insinuat dicens: *el mismo dios es el que alli es sentido y gustado.* Et in not. obic. l. 2. c. 23. ubi dicit: *Vnos como toques substanciales de divina union entre el alma y Dios.* Quod explicans P. Didacus à Jesu in annot. dict. 1. phrasi 4. §. 2. prope finem. *Que mucho se diga que ai substanciales toques, y contactos de divina union entre las dos essencias humana y divina, &c.* ex quibus verbis contactus mutuus non obscure colligitur. B.N.P. Joannes à Cruce.

Ex discipulis ejusdem B. Patris, venerabilis P. Joannes à JESU-MARIA in sua *myst. Theol. c. 6.* optimè explicat, quomodo anima DEUM amplectitur, degustet, tangat, adstringat, &c.

Ven. P. Hieronymus Gratianus in declarat. myst. Theol. loquens de actibus anagogicis illos appellat contactus divinitatis, quibus anima absque medio tangit DEUM, &c.

P. Thomas à Jesu de contempl. div. l. 5. c. 14. prope finem. Cùm voluntas (inquit) DEO adhæret, ac mystico contactu, gustu, percipit, attingit, & amplexatur, &c. Ven. Thomas à Jesu.

P. Philippus à SS. Trin. in *summ. myst. Theol. disc. proœm. a. 8. §. quartum est*: ait: in hujusmodi unione DEUS interno tactu & amplexu percipitur & quodammodo palpatur ab anima, &c. & *p. 3. tr. 1. disc. 1. a. 3.* ut intellectus agnoscat, voluntas; tangat suavissimum DEUM. & *p. 3. tr. 3. disc. 3. a. 8. §.* attingentia hæc. Latè agit de attingentia, qua sponsa sponsum stringit.

Solus N. Josephus à Jesu MARIA *ingressus animæ in paradisum l. 1. c. 30.* movens istam quæstionem, & adducens pro parte affirmativa S. Gregorium, S. Bonav, S. Thomam & alios: & pro par-

parte negativa ipsummet D. Thomam & Hugon. Victor. qui possunt intelligi de contactu virtuali, quem nos etiam negamus, vel de immediato, de quo aliqui dubitant, adhuc eos conciliat, & affert novum modum explicandi contactum animæ erga DEUM, etiam si dicatur quod immediatè non tangat, sicut tangitur Rex mediantibus vestibus. Quod sufficit ut etiam pro affirmativa parte citetur.

Probatur 4. ratione.

Probatur 4. Ratione (suppositâ ut indubitatâ unione inter animam & DEUM) ut duo corpora uniantur, mutuo se debent tangere tactu quantitativo & proprie dicto: ergo ut duo spiritus invicem uniantur, sicut DEUS & anima, debent se invicem tangere tactu improprio & metaphorico, eo proportionali modo quo uniuntur. Sed DEUS unitur animæ communicando augmentum gratiæ, charitatis, & donorum; anima autem unitur DEO actualiter per actus cognitionis, & amoris; ergo DEUS tangit animam tactu virtuali & productivo; anima vero DEUM tactu cognitionis & amoris; seu per modum objecti cogniti & amati, qui metaphoricè dicitur tactus. Antecedens per se patet ex inductione omnium corporum invicem unitorum. Consequentia ex terminis liquet, cum enim inter spiritus non possit dari tactus propriè dictus, explicatur eorum unio per tactum metaphoricum & similitudinarium. Minor subsumpta constat ex *quæstione* 17. de unione.

Confirmatur 1.

Conf. 1. quia unio ista appellatur in Scriptura sæp. osculum & amplexus inter DEUM & animam: ergo sicut ex parte DEI datur osculum & amplexus animæ producendo & agendo prædictas gratias, quibus illam tangit tactu virtuali, sita ex parte animæ osculum & amplexus nihil amplius important, quam actus cognoscendi & amandi, cum non habeat aliud os, nec alia brachia præter intellectum, & voluntatem, quibus deosculatur amplectitur; stringit, & tangit DEUM modo dicto.

Confirmatur 2.

Conf. 2. Argumento, quo utitur, quodque enucleatius expendit P. M. Petrus à JESU MARIA in *cap. 4. Apoc. sect. 3. maxime n. 4. & 14.* In intellectu cum sit potentia eminentior & superior sensibus, datur cognitio correspondens sensationibus, & actionibus corporis, ut docet D. Bonav. *6. itiner. æternit. dist. 6* & ex alio capite essentia divina variis modis se potest communicare, & cognoscendam præbere, nimirum per modum visionis, auditionis, gustus, tactus, amplexus, unionis &c. ergo non est mirum quod non solum voluntas, sed ipse intellectus cognoscendo DEUM in hac contemplatione variis modis illum attingat, nempe visionis, gustus, tactus, amplexus &c.

Dices.

Dices: DEUS potest operari immediatè in anima & potentiis ejus, & ideo dicitur illam tangere: anima autem non potest DEUM attingere per potentias immediatè in se ipso, pro hac vita: ergo, quamvis cognoscat & amet non ideo dicetur illum tangere.

Respondetur 1.

Resp. 1. dato antecedenti Neg. conseq. adhuc enim (ut supra diximus) P. Josephus à JESU MARIA salvat locutionem contactus DEI respectu animæ, & animæ respectu DEI per hoc solum, quod DEUS mediantibus donis suis tangat animam, & anima etiam mediantibus illis percipiat DEUM.

Respondetur 2.

Resp. tamen 2. Neg. anteced. quoad 2. part. anima enim in contemplatione Theologiæ mysticæ, & unione illam comitante immediatè attingit DEUM non solum per actus amoris, sed etiam per actus cognitionis. Et de actu amoris non videtur posse dubitari: proprium enim charitatis est DEUM immediatè amare, & non mediante alio objecto amato. De actu vero cognitionis in contemplatione, quæ fit per modum negationis, etiam DEUS cognoscitur immediatè negativè, id est, non mediante alio objecto cognito ut *quod*: in remotione enim omnium cognitorum insistit ferè tota doctrina S. Dionysii, & mysticorum, dum hanc contemplationem inculcant, ut latè diximus ad 1. caput Theolog. myst. At in contemplatione suprema Mysticæ Theologiæ, quæ ideo dicitur visio, positive attingitur DEUS sub aliqua ratione communi & confusa, immediatè immediatione alterius objecti, licet non immediatione speciei, quam etiam aliqui excludunt, ut diximus ad *prædictum caput. 1. q. 8. dub. 7.*

Quod ut magis pateat, quæritur quidnam mediet inter intellectum & DEUM in suprema illa contemplatione? Si dicas, quod mediat species, hoc non est medium *quod*, sed *quo*, ac proinde non tollit immediationem objecti. Si dicas mediare aliud cognitum ut objectum *quod*, jam destruis naturam contemplationis Theologiæ Mysticæ, in quo discriminatur ab aliis contemplationibus, & totam doctrinam S. Dionysii. Nihil ergo mediat tanquam objectum *quod*, ac proinde cognitio est immediata. Jam etiam de actu voluntatis, non potes respondere, quod mediet aliud objectum amatum ut *quod*; nisi tollendo rationem amoris charitatis perfectissimi: nec quod mediet species; qua voluntas non utitur: ergo immediatè attingitur DEUS per illos actus. Videatur de hac immediatione cognitionis & amoris citatus M. Petrus à JESU MARIA *in Apocal. cap. 4.* ubi eam uberius probat, & exponit.

Respondetur ad rationes dubitandi.

Ad Rationes dubitandi in principio positas, patet responsio ex dictis: nam ad 1. Respondetur cum omnibus Auctoribus, tam Scholasticis, quam mysticis, in 2. & 3. probatione nostra adductis. Ad 2. Neg. conseq. & ad probationem ibi insertam Resp. D. Thomam dividere contactum quantitativum, utpote magis proprium, juxta duplicem quantitatem scilicet molis, & virtutis. Non tamen negat, imo expresè asserit posse DEUM aliquomodo tangi ab intellectu & voluntate per modum objecti, (ut diximus probat. 2.) quamvis iste contactus non dicatur quantitativus: non enim fit media quantitate molis, cum non sit corporeus: nec media quantitate virtutis effectivæ, cum non producat aliquid in DEO: sed potest dici objectivus, seu per modum objecti cogniti, & amati.

Respondetur ad 1.

Ad 2dam Respondetur.

Ad 3tiam Respondetur.

Ad 3. Resp. 1. transeat ant. Neg. conseq. adhuc enim possemus dicere, quod anima tangat DEUM juxta superius dicta ad objectionem contra probationes. Resp. tamen 2. Neg. antec. non enim solum percipit anima effectum tactus activi DEI, sed percipit & gustat ipsum DEUM; ut patet ex authoritatibus supra citatis, qui quidem gustus DEI appellatur notitia experimentalis ut explicat D. Thom. in illud psalm. 33. *gustate & videte*, ex eo quod DEUS ipse gustatus sit intra nos.

Ad quod melius percipiendum notandum est: animam dupliciter gustare DEUM: vel enim solum

solum gaudet de illo sibi præsente & uniro, quomodo semper gaudium sequitur ad præsentiam boni amati: hic ergo actus gaudii ac gustus voluntatis non versatur n si circa ipsummet DEUM ut unitum & amatum. Vel etiam gusta: anima saporem quemdam spiritualem suavissimum, communicatum animabus sic contemplantibus, & amantibus DEUM: quomodo etiam potest dici DEUS gustatus, tamquam causa per suos effectus, sicut dicitur gustare saccharum, qui gustat illius saporem. Unde optime dicit N. B. P. loco supra citato. *Dios es el que alli es sentido, y gustado.* Nec obstat quod ibi additur de distantia infinita objecti, quæ solum obstat comprehensioni, & non perceptioni per potentias elevatas, alias etiam obstaret visioni beatæ.

Pro solut. 4. præsupponendum. Ad quartam præsupponendum est, nobis non rectè imputari, quòd admittamus *actionem tactivã* animæ in DEUM: aliud enim est, rigorosè loquendo, exercere actionem tactivam, aliud tangere per operationem intellectus & voluntatis: operatio namque vitalis & immanens nihil producit in objecto circa quod operatur: *actio* vero *tactiva* importat in rigore productionem in objecto tacto, & proinde tactum virtualem, quem negamus ex parte animæ erga DEUM. *Respondetur jam,* Loquendo igitur de tactu animæ modo explicato, negamus non affirmari à Theologis mysticis, & à discipulis N. B. Patris, ut patet ex omnibus illis, quos citavimus probat. tertia. Quidquid sit an idem B. P. hoc expresse docuerit: non enim ad hoc tenebatur, si ad propositum & intentum proprium non serviret.

Nec etiam istam doctrinam de modo loquendi tamquam de fide adstruimus, ut non possent aliqui Auctores contrarium asserere, ut de P. Valgornera dicitur in argumento. Non tamen bene probatur illum contra quæ diximus sentire per hoc quod dicat *quæstione 3. d. 5. articulo 9. Tactus istos solum à DEO procedere posse*, &c. Loquitur enim ibi de tactibus divinis in animam, in qua solus DEUS potest operari, & non Angelus: non tamen ideo negat tactus animæ erga DEUM, maxime cum illos adstruat N. Philippus à SS. Trinitate, cujus ipse est fidelissimus Achates, ut legentibus eorum doctrinam mysticam patebit.

DVBITATIO X.

Vtrum certitudo, seu revelatio status gratiæ, & prædestinationis æternæ debeatur congruentia, aut per modum proprietatis supremo gradui mysticæ Theologiæ ratione unionis fruitivæ & conjugalis?

Sententia negativ. HUjus quæstionis pertractandæ occasionem jam in principio præcedentis retulimus. Et pro parte negativa plures rationes poterunt afferri.

Probatur primò. Prima est: quia hoc privilegium raro de facto, & solum admittitur ab Ecclesia ut possibile; ergo non debet constitui status perfectionis cui debeatur.

Prob. 2. 2. Quia constituere talem statum est contra sensum Theologorum, agentium de certitudine gratiæ, & dono perseverantiæ.

Prob. 3. 3. Quia semper conveniens est animæ in quocunque statu habituali sit, habere saltem virtualem timorem, quod illum possit amittere.

Prob. 4. 4. Quia saltem in vulgari lingua hoc edocere, & excudere erit occasio pluribus animabus præsumendi ex quolibet favore divino se jam esse constituras in illo securitatis statu.

Prob. 5. 5. Quia sibi objicit præfatus P. Petrus à JESU-MARIA, si ista certitudo deberetur ex intrinseca natura illius contemplationis supremæ, quæ ideirco appellatur visio, & ex amore ferventissimo eam inseparabiliter comitante, quibus peccatum deliberatum repugnat (ut aliqui dixerunt) sequitur quòd jam aliquis in hac vita sit naturaliter impeccabilis, quod est absurdum.

Prob. 6. 6. Quia si aliqui P. P. & D. D. mystici impeccabilitatem hujus status videntur asserere, sunt explicandi in sensu composito, dum illa unio & amor actualis permanet: ex quo non infertur, quòd etiam cessante illa, perseveret impeccabilitas.

Deniq; hoc videtur pugnare cum pluribus locis S. Scripturæ ut Job 15. v. 14. *Quid est homo ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis*, &c. Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadit justus.* Isai. 64. v. 6 *quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Jacobi 3 v. 2. *in multis offendimus omnes.* Quibus & similibus authoritatibus addé verba Conc. Trid. *sess. 6. de justificatione cap. 6.*

Sententia affirmativa. Affirmativam sententiam sequitur N. Philippus à SS. Trinit. *disc. proœm. Theol. myst. a. 8. §. Quartum est*, & *§. Quintum est*, ubi dicit, animam quæ in exercitio Theologiæ mysticæ pervenit ad unionem fruitivam, non solum reddi certam de tali unione, sed etiam quòd sit in statu gratiæ, & in numero electorum ex revelatione evidenti, quæ debetur huic statui; licet postea sæpe contingat obliviscí hujus notitiæ, ut cum timore & tremore salutem operetur, &c. Et hanc dicit communiorem sententiam Mysticorum. P. M. Franciscus Pizanus in compend. Theolog. myst. lib. 4. cap. 14. Hanc etiam sequitur, & dicit valde esse probabilem P. M. Petrus à JESU-MARIA in *Apoc. cap. 7. sect. 4.* illam amplectitur, & late probat: semetipsum etiam citat in 2. 2. *disp. ult. sect. 7.* & alios. Adeoque certum judicat animam per hanc unionem & contemplationem reddi impeccabilem, seu confirmatam in gratia, ut neget Adamum in ecstasi illa ad istam supremam contemplationem perveniisse, quod aliqui dixerunt; & in Thabore tres illos discipulos, ex eo quod Adamus, & Petrus postea peccaverint. Hanc autem experimentalem notitiam dicit esse illam qua Moyses DEUM vidit, & non visionem claram: videatur ad *cap. 4. Apoc. sect. 3. & 4.*

Citantur etiam pro hac sententia pluret ex P. P. & D. D. mysticis. S. Augustinus *sermone 185. de tempore.* S. Ambrosius in illud Cant. 5. *Exuimè tunicam meam.* In principio octonarii 22. *in Psalm.* 118. ubi ait: tanta vis consummatæ emendationis est, quæ vias erroris ignorat, crimen etiam si velit, non possit admittere. S. Bernard. de vita solit. ad Fratres de monte DEI. Ut non jam similitudo sed unitas spiritus nominetur, non tantum unitate volendi idem (cum DEO) sed aliud velle non valendi. S. Laurentius Justinianus *libro de casto connub. cap. 14. & cap. 25.* ubi hanc sententiam expressissime docet. S. Bonaventura *de 7. proc. Relig. cap. 15. & itiner. 3. dist. 5.* ubi adducit Originem pro hac sententia. Rubiochius in *Tabern. fœderis cap. 19.* Albertus Magnus *lib. de adhærendo*

DEO.